



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi  
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis  
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio  
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

Munera judici an donanda, num. 13.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

visitationes: puto, inquam, temperari. Cum enim illud (præsumat) temeritatem ostendat credere meritò possumus, tantum rigorem ad modica esculenta, vel ad exigua similia nequaquam extendi. Et Tridentinum loco citato hunc canonem confirmans, licet non utatur eodem verbo (præsumat) dum tamen aliud non explicuit, videtur solum idem, quod Canon voluisse.

tt. *Glossa in c. Romana. §. procurationes. de cens. & exalt. v. aliquod munus.*

*Munera iudici, an donanda?*

13. Quando iudex licitè potest accipere munera, juxta dicta, licitè & alij donant. Sed quid, quando illicitè iudex petit, vel accipit? respondeo, si ea quis dat, ad redimendam suam vexationem injustam, non peccat<sup>14</sup>. Ne sit tamen litigans facilis ad credendum, vexationem injustam intercedere, quia omnes ferè litigantes putant, se injustè vexari, cum tamen non ita sit, intercedit tamen, quando imminet periculum claræ injustitiæ, vel injustæ inæqualitatis, in expediendis negotijs, ijs prius expeditis, ob quæ munera iudex accipit.

u. *Mol. 1. tr. 2. d. 88. Sanchez. l. 3. Consil. cap. unico, dub. 3. & communiter. Rebell. alijque apud Dicast. l. c. n. 86.*

14. Hac occasione nota, iudicum famulos, qui aliquibus propter munera accepta aditum præbent ad iudicem, alijs injustè exclusis, omnino peccare; sed tamen iisdem propter eamdem rationem, dare licebit munera ad redimendam vexationem. Dixi (injustè) nam si, sine alterius præjudicio, extraordinarium favorem famulus procuret litiganti, licitè, quam vis indecorè, propter hanc causam, aliquid accipiet,

15. Nota, ea, quæ iudex, alijve recipiunt ad redimendam vexationem debere (præter peccatum) omninò restitui, quia, in vitis absolutè dominis, accipiuntur.

Denique iudicis amasiæ, quando ad sollicitandam causam munera offerre liceat, diximus lib. 5. c. 1. §. 4. n. 23.

## §. II.

*Reus.*

*An licitè aperiat occulta, vel falsa crimina testium.*

**Q**Væres primò, potestne reus ad enervandam falforum testium auctoritatem, eorum occulta crimina revelare? respondeo, si alia via non datur, qua commodè testimonium infirmet, sanè potest<sup>a</sup>, sive spontè, sive compulsi à iudice, testes illi testati fuerint: quilibet enim jus se tuendi habet, cum justo moderamine, præsertim eodem genere armorum, quo oppugnatur. Quod si alia via datur, ut item si per manifestationem unius peccati minoris sibi consulere satis posset, manifestaret autem majus, eum peccaturū, etiam contra Iustitiam, puto; sicuti eodem modo peccare supposuimus supra b illum, qui, se corporaliter defendendo, excedit limites necessariæ defensionis.

a *Lessl. 2. c. 31. n. 1.* b *sup. lib. 6. c. 4. §. 3. num. 16.*

2. Hinc sequitur primò, eum, qui accusatur de crimine, quod juridicè ab accusatore probari nequit, non solum posse c negare crimen, sed etiam dicere,

Xxx 3

accusa-